

Cap. LI.

DE FRATRIBUS, QUI NON LONGE SATIS PROFICISCUNTUR.

Fratres qui pro quovis responso diriguntur et ea die sperantur reverti ad monasterium, non praesumant foris manducare, etiam si a quovis rogentur, nisi forte ab abbate suo eis praecipiat. Hoc notandum est, quia in hoc capitulo, quod dicit *nisi forte ab abbate suo eis praecipiat*, intelligitur: si talis est persona, quae non debet contemni, veluti est episcopus aut abbas aut certe talis monachus religiosus, unde securus sit, quia cum religione manducat, potest dare licentiam manducandi; nam si alia persona est, non debet dare licentiam abbas suo monacho manducare, etiam si abbas fuerit aut episcopus, si talis est, in quo non est religiositas nec cum religione manducat, quia non tantum attendenda est persona, quantum religio in persona. Hoc iterum notandum est, quia de illo dicit monacho, qui sub uno die exit et in illo die revertitur. Sciendum est enim, quia ille frater debet manducare cum illa persona digna, ad quam mittitur, ante¹⁾ horam etiam dicit, i. e. si, cum mittitur, [et] ante horam rogaverit, eum secum manducare, debet manducare, si digna fuerit persona. Tria enim inspicienda sunt in manducare: prius religio personae, i. e. si reverens et timoratus sit, sive monachus sive episcopus sive abbas aut clericus, ut cum reverentia et lectione et timore Dei manducet; deinde scandalum inspiciendum est, ne forte ille homo, quia potens est, pro indignatione, quia non manducavit cum illo ille frater, noceat monasterio et damnum magnum faciat; deinde necessitas inspicienda est, quia non habet, quid aut unde aut ubi manducet.

Sequitur: *Quod si aliter fecerint, excommunicentur.* Hoc notandum est, quia, cum dicit *excommunicentur*, S. Benedictus illum iudicavit. Isto enim modo debet esse excommunicatus: alii dicunt, ut debeat solummodo vinum non bibere et cum fratribus insimul manducare; alii dicunt: debent

¹⁾ qui ante (?).